

altera Brutii censenda sit . Ad illos suadendos , qui Catonis testimonium genuinum volunt , hoc utimur argumento . Quonam pacto Brutiani potuerunt esse a Brutii derivati , quando prius Brutiani , quam Brutii nomen , fuit per hominum ora , & per sribentium callamos , divulgatum ? Quando Cato scribebat a Brutianis fuisse Decemviros percussos , diximus superius , non adhuc Brutios in mundo apparuisse . Brutiani ergo erant , Brutii non erant ; non igitur Brutiani fuerunt a Brutii derivati .

Iis vero , qui Catonis testimonium spurium agnoscunt , dicimus , quod si Brutianorum munus erat fontes flagellis cädere , & Brutii nunquam fuerunt hac poena a Romanis mulctati , ut usque modo probavimus ; non ergo a Brutii , secundum hanc rationem , potuerunt dici Brutiani derivati . Aliam proinde opus est , ut inquiramus radicem , ex qua vox ista promanet ; & quidem superius innuimus ex Dominico Martyre , à Brutiano Campo , in decimaquarta regione Urbis , trans Tyberim flumen , provenisse . Et quum nobis opponeremus , non satis constare , quo tempore campus ille Brutianus Romæ fuerit ; nobis ipsis respondimus , Brutianum a Gente Bruta fuisse dictum , proindeque fuisse Romæ tempore , quo ibidem Gens Bruta florebat .

Ut autem hæc fortius firmentur , & facilius admittantur , scire oportet , Gentem Brutam , Romæ nobilissimam , originem suam a L. Junio Bruto traxisse ; qui ante tantum L. Junius appellatus , post cädem deinde Tarquinii superbi , Bruti nomen accepit , & toti suæ posteritati reliquit . Legimus proinde apud Fulvium Ursinum , in familiis Romanis , quæ in antiquis numismatibus reperiuntur , ad familiam Juniam , hæc